

1.2.5

Idem AA. Melitio pp.

Placet rationabilis consilii
tenore perpenso destricta moderatione praescribere,
a quibus specialiter necessitatibus ecclesiae
urbium singularum habeantur immunes. prima
quippe illius usurpationis contumelia depellenda est,
ne praedia usibus caelestium secretorum dedicata
sordidorum munerum faece vexentur. nihil extraordinarium
ab hac superindicticiumve flagitetur,
nulla translationum sollicitudo gignatur, postremo
nihil praeter canonicam illationem, quam adventiciae
necessitatis sarcina repentina depoposcerit, eius
functionibus adscribatur. si quis contra venerit,
post debitae ultionis acrimoniam, quae erga sacrilegos
iure promenda est, exilio perpetuae deportationis
uratur.

D. VIII k. Iun. Ravenna Honorio VIII et Theodosio V AA. conss. [a. 412]

1.2.6

Idem AA. Philippo pp. Illyrici

Omni innovatione
cessante vetustatem et canones pristinos ecclesiasticos,
qui nunc usque tenuerunt, et per omnes Illyrici
provincias servari praecipimus, ut, si quid dubietatis
emserit, id oporteat non absque scientia viri reverentissimi
sacrosanctae legis antistitis urbis Constantinopolitanae,
quae Romae veteris praerogativa laetatur,
conventui sacerdotali sanctoque iudicio reservari.

D. prid. id. Iul. Eustathio et Agricola conss. [a. 421]

1.2.7

Idem AA. Asclepiodoto pp.

Ad instructiones itinerum pontiumque etiam divinas domos
et venerabiles ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus,
quia non est inter sordida munera numeratum.

D. XV k. Mart. Constantinopoli Asclepiodoto et Mariniano conss. [a. 423]